



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

In quo persistere possint. 16

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

LIBER I.

exteriora qualibet & sensibilia velut insensibiles, ad spiritualia vero & interna viuaces existant, utque omnia, quae exterius videre & audire contingit, in Deum trahant, prout veros decet amatores. Etenim per hoc omnis nostra conuersatio, omne agere & dimittere, cunctaque opera nostra dirigi atque perfici, & summi boni capacia fieri valebunt.

Quinto, in quo persistere debeant ac permanere. Cap. XVI.

DEnique ut in rectitudine sua persistere valeant, tria nobis sunt iugiter obseruanda. Primo introuersio continua in spiritum, & ut semper maneamus in praesentia Dei per puras cogitationes, & per claram cognitionem, & voluntatis unionem, ut videlicet vnus cum Deo spiritus effici & manere cupiamus, idque per merita humani gaudiosi spiritus sui, per quem memoria nostra libertati restituitur, intellectus illuminatur, & voluntas in amore diuino vnitur, ad prosequendum semper beneplacitum Dei voluntatem. Secundo, ut domino Deo nostro semper obediamus, & ipsi cum omnibus viribus nostris subditissimi, ipsaque vires simul omnes Deo applicatas seruemus, & hoc per merita sanctissimae ac modestissimae animae suae, per quam ratio illuminatur, vis concupiscibilis purificatur, & irascibilis, humilis atque mitis efficitur, omnes quoque affectiones, spes videlicet & timor, amor & odium, gaudium & dolor atque pudor motu diuino aguntur, & simul ad Deum vnite seruantur, per arctam quinque sensuum custodiam. Et inde conscientia in summo gaudio & exultatione constituitur, eo videlicet,
G quod

MARGARITAE EVANG.

quod omnes vires, affectiones & sensus per Iesum Christum in debito suo loco & rectitudine conseruatur. Tertio, vt omni tempore vitam ac passionem domini nostri Iesu Christi in cordibus nostris collectam atq; impressam habeamus, ipsamq; crucifixam imaginem eiusdem domini nostri Iesu Christi ibidem erectam teneamus, in qua omnis summa totius vitæ ac passionis eius inclusa est, & vt clarum istud speculum perfectissimumque exemplar iugiter ob oculos cordis versemus, aspiciendo quidnam fuerit in Christo Iesu, quales erant omnes vires atque affectiones eius, qualiter ipse dispositus erat intus & exterius in omni conuersatione sua verbis & operibus suis, quatenus in illis eum sequi, & sic in ipsum transformari mereamur per merita sanctissimi mundissimi vulnerati corporis sui, per quod omnia membra nostra mundantur, & in Christo Iesu conseruantur. Extra istud speculum nunquam deflectere debemus, sed in eo ingiter permanere, & aspicere dissimilitudinem nostram, & quæ nobis adhuc desunt in spiritu, in anima & in corpore, in quibus nondum ipsum sequimur. Intueri etiam quomodo spiritus Christi erectus erat per quandam essentialem introversionem, in summum et maximum gaudium, etiam tunc quando grauissime patiebatur. Et qualiter eius anima ob animarum nostrarum reparationem in maximos dolores & poenas distensa fuerit. Quomodo deniq; corpus eius miserrime laceratum, & atrociter vulneratum, in cruce pēdebat in maximo cruciatu, in extrema paupertate, & desolatissima despectione, qualē nulla vnquā creatura sustinuit, quodq; ab exordio
nati

LIBER I.

tratiuitatis suæ vsq; ad illud tempus, quo in cruce moriebatur, cruce multiplici nunquam carebat. Atq; ista vicissim quilibet homo in corde suo portare debet, vt ipsum vice versa cū essentiali introuersione cum gaudio spiritu cū subiecta anima, et cum puro ac patienti corpore valeat imitari. Porro quisquis istud amplius & per seuerantius exercitauerit, ille supra dicta omnia clarius in seipso deprehendet. Et certe istam de Deo & de nobis ipsis cognitionem, & quid sint animæ vires, vbi sint, cur nobis collatæ sint, in quæ mala corruerint, in quo rursus erigi, & in quo persistere debeant, de quibus iam supra dictum est, omnes necessario scire tenentur. Est enim huiusmodi cognitio, quasi quoddam fundamentum, cui omnia exercitia superædificari possunt, prout quisque se trahi senserit. Et sine isto non est spes alicuius profectus, nec vllum potest exercitium stabiliter perdurare. Hinc nanque omnes gradus & spirituales profectus virtutum oriuntur.

De quinque vtilitatibus, quas consequitur ille, qui supradicta quinque puncta studiose attendit, & sese in eis exercet.

Cap. XVII.

Porro, qui supradicta vigilanter attendere, & in eis sese exercere curat, ille quinque non paruas inde vtilitates assequitur. Primo quidem, quum se modo supra dicto introuertit, aspicitq; qualiter ad Dei factus est imaginē, & quid sint animæ vires, & vbinā sitæ sint, Deū atq; sui ipsius inde cognitionē assequitur, de qua sic ait quidam; Si cognosceret homo Deum atq;

C ij sei-